

catione, vitæque sanctimonía ad pietatem illéxit. Tempus omne a suggestu vacuum fidelibus per Pœnitentiæ sacramentum expiandis impendebat, pueris sacra catechési erudiendis, nosocomiis, et carcëribus visitandis. Noctes vero orando, meditandoque transigebat; quem si quando somnus occupabat, lectulum fessis artibus nuda humus præbebatur. Tanto virtutum splendore commoti undique populi ad illum confluabant, eo numero ut, cum templa capiêdo non essent, virum Dei sub diu concionari oporteret. Id autem fere contingebat, ubi Didacus de sanctissima Christi Matre diceret, vel de Trinitate augusta; beatissimam enim Virginem sub Paciferæ appellatione, ac Matris divini Pastoris mirifice colebat: de Trinitatis autem mysterio ea sublimitate loquebatur, ut merito ejus mysterii Apóstolus nuncuparetur.

**R.** Amavit.

**Leccio vj.**

**D**idaci exhortationibus difficile dictu est, quot e perditionis via ad semitam salutis redúcti sint, quot hæretici ad catholica dogmata tradúcti,

quotsimultates, atque odia restincta. Eo suadente, impii sæpe códices combústi, theatra vero obserrata, vel fúnditus eversa. Tanta erat populorum in eum pietas, et reverentia, ut passim tamquam alter Paulus haberetur; quas tamen públicí honoris significationes ille demississimo animo excipiebat, non secus ac convicia, et insectationes, quibus identidem impetebatur. Demum laboribus attritus, gravem incidit in morbum; cujus dolores cum patientissime tolerasset, Ecclesiæ sacramentis receptus, qua prædixerat die, anno millésimo octingentesimo primo, ætatis quinquagésimo octavo, Arundæ migravit ad Dóminum. Eum virtutibus, miraculisque illustrem Leo décimus tertius Póntifex máximus Beatórum fastis ascripsit. **R.** Iste homo.

**In iij. Nocturno, Homilia.** Pusillum gregem. **de Communi j. loco.**

**DIE IV. APRILIS.**

**S. Isidori**

**Archiepisc. Hisp. Conf. et Doctoris.**

**Duplex ij. classis.**

**Omnia ut in Breviario.**

**In ij. Vesp. fit Commem. sequentis.**

**DIE VI. APRILIS.**

**B. Julianæ  
Cornelionensis**

**Virginis. Duplex.**

**Ut in fine Breviarii.**

**DIE XIII. APRILIS.**

**S. Hermenegildi**

**Martyris. Duplex.**

**Omnia ut in Breviario.  
Vesperæ de sequenti.**

**DIE XIV. APRILIS.**

**B. Petri Gonzalez,**

**S. Telmi vulgo appellati,  
Conf. Duplex majus.**

**(In Diœcesi Tudensi, Feria ij. post Domin. in Albis, Duplex j. classis cum Octava.)**

**Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter sequentia.**

**Oratio.**

**D**Eus, qui in maris periculis constitutis beati Petri opem singularem ostendis: ejus nobis intercessione concede; ut in hujus vitæ procëllis tuæ gratiæ lumen semper affulgeat, quo æternæ salutis portum invenire valeamus. Per Dóminum.

**Et fit Commem. præcedentis et SS. Tiburtii etc. Martyrum.**

**In j. Nocturno, Lectiones. Beatus vir. de Communi ij. loco.**

**In II. Nocturno.**

**Leccio ib.**

**E**trus González, sanctus Telmus vulgo appellatus, Fromestæ in Hispânia apud Paléntiam piis ac nobilibus paréntibus ortus est. Adolêscens sub Episcopi Palentini avunculi sui cura ingenuis artibus et philosophiæ operam dedit, ingenio ad præclara quæque aptissimo. Sed ejusdem Ecclesiæ canonicatus et mox etiam decanatus dignitate auctus, honorum ac divitiarum illêcebris juveniliter abruptus, sæculi vanitati paulo libèrius indúlsit. Accidit vero, et cum ipso Dominicæ nativitatis die, equo splendide phalerato, æquallium comitatu totam urbem lasciviens circumcurset, equo in profundum lutum repente prolapso, dejectus ipse multoque cœno inquinatus spectantium risu sannisque excëptus sit. Quo insigni pudore suffusus, et mundi cui placere studuerat, contuméliam réputans, se vicissim a quo spretus esset, spreturum constituit. Igitur paulo post magna omnium admiratione in Prædicatórum ordinem sese recepit, ubi veterem hóminem cum actibus

suis éxuens, novúmque induens, eximíæ pósuit tiorcinia sanctitátis.

**R.** Honéstum.

**Lectio b.**

**A**D céteras autem virtutes, quibus brevi magnópere excelluit, caritatem áttulit proximórum salutis cupidíssimam: quare absolúto sacrárum litterárum stúdio, sancto patre Domínico ad imitándum sibi propósto, prædicatióni se totum dedit, nihil a Deo impénsius flágitans, quam ut revocándis in viam salutis animábus pérditis idóneus efficerétur. Severíssimam apostólico more in eo múnere paupertátem exércuit. Quocúmque exciperétur hospítio, non inde prius exibat, quam incolas omnes sacra exomologési expiásset. Sermo illi vivus et effícax, quo audiéntium corda ádeo pervadébat, ut per eas, quas apostólico zelo peragravit, Hispáníæ provinciás, innúmeros fere peccatóres ad pœniténtiam addúxerit. Ferdinándum regem, cognométo Sanctum, in váriás advérsus Mauros expeditiões eúntem secúsus, consiliis, exémplo et oratióibus mirífice juvit. Venústas féminas ejus amóre ca-

ptas aliásque procacióres ad eum immíssas, ut pudicitíæ ejus insídias strúerent, non solum strénue répulit, sed étiam ad meliorem vitæ frugem convértit.

**R.** Amávit eum.

**Lectio bj.**

**M**inio flúmini prope Ribadáviám longe rápido atque effúso pública transeúntium utilitáte pontem amplíssimum fere miraculo impósuit, accita ad óperis molitió-nem ingénti structórum manu; quibus cum cibus aliquándo deficeret, evocátos quotquot iis reficiéndis sufficerent pisces, manúque prehénsos iisdem præbuit. Sed et sócios, labóre itineris atque inédia fere deficientes, pane et vino cœlitus suppeditátis recreávit. Adhuc vivens in sævíssima maris procélla a nautis invocátus eisdem sese conspicuum exhibuisse fertur, tempestatémque sedásse. Prophético spiritu futúra multa prænuntiávit, atque in primis extrémum vitæ suæ diem; quo adventánte, in Tudensem sese urbem recépit, ubi méritis et labóribus plenus sancto fine quievit. Ejus corpus honorífico sepúlcro, unde mira fra-

grántia óleo emanásse tráditur ægris salubérrimum, ab Episcopo Tudénsi in cathedráli ecclé-sia cónditum est, ubi asservátur et cólitur. Ejus miraculórum fama ad remotas usque Américæ regiões pervagáta, ingénti populórum veneratióne invocári, et coli cœpit, a nautis comprimis, qui ejus opem in maris tempestátibus præsentíssimam expérti, eum sub appellatióne sancti Telmi in tutelárem sibi asciverunt. Urbs étiam et diocésis Tudénsis eum sibi patrónum principálem nuncupáverunt. Illius cultum continenter propagátum approbávit Benedictus décimus quartus, ejusque festum cum Officio et Missa primum ab univérso Prædicatórum órdine, necnon a clero Palentíno et Tudénsi, deinde ab ómnibus Hispaniárum diocésibus celebrári concéssit.

**R.** Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. 18.**

**I**N illo tēpore : Dixit Jesus discipulis suis : Eúntes prædicáte, dicétes : quia appropinquávit regnum cœlórum. Et reliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

**Homilia 33. in Matth.**

**C**onsidera qualiter Dóminus non minorem curam habet, ut mores eórum in melius redúcat, quam ut signórum præbeat potestatem. Nam ut osténdat absque nobilitate morum nihil signa valere; utque in nullum fastum animi atque tumórem incidérent, Gratis, inquit, accepistis : deinde ne cupiditate pecuniárum moveréntur, intulit, Gratis date. Nam ne quasi sua ipsórum potestate miracula faciéntes, inde superbirent, Gratis, dixit, accepistis : nihil largimini iis, qui vos recipiunt. Non enim tamquam mercédem vestris labóribus débitam ista accepistis; mea enim est grátia. Sic ígitur, áliis quoque hæc beneficia, quorum nullum potest condignum præmium inveniri, gratis date.

**R.** Iste est.

**Lectio viij.**

**P**ost hæc, cum radice omnium malórum volúerit evellere, vitiórumque fundaméntum dirúere : Non possideátis, inquit, aurum, nec argéntum, nec pecúniám in zonis vestris, non peram in

via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam. Non dixit, Non accipiatis vobiscum; sed, Non possideatis; ut, si et aliunde recipere possent, recusarent tamen, ac perniciosam hanc ægritudinem fugerent. Quo deinde præcepto multa profecto complèctitur commoda. Primum, ut nulla de discipulis possit esse suspicio; deinde ab omni sæculari cura sic ipsos liberos reddit, ut prædicationi solum vacare possint: demum immensam suam potentiam ipsis patefacit, quod et postea commemoravit dicens: Numquid vobis tunc aliquid defuit, quando vos nudos absque calceis misi?

**R.** Sint lumbi.

**In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ; post Paschavero, de SS. Tiburtio etc. Mart. Si tamen fiat translatio.**

**Lectio ix.**

**I**llud etiam consideratione dignum est, quod non incipiens statim dixit: Non possideatis aurum, nec argentum, sed cum prius mundandi leprosos, ejiciendi dæmonia potestatem eis dederit, tunc intulit, Nihil possideatis, gratis accepistis, gratis date. Sic rebus ipsis dō-

cuit utilia se et honesta et facilia factu eis præcipere. Sed inquires, cetera quidem non absque ratione certa dicta esse: quid autem, ut peram non habeant in via, nec duas tunicas, nec virgam, nec calceamenta, quam de causa eis injunxit? Exactissime certe sublimioris vitæ fundamenta voluit jacere; sic et in superioribus nullam de crastina die curam ipsos habere docuit.

Te Deum laudamus.

**DIE XVI. APRILIS.**

**S. Thuribii de Liebana**

**Episc. et Conf. Duplex. Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia. Oratio. Exaudi.**

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrages. et Dioc. Astur. et Palent. Fidelis sermo. de Comm. j. loco.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio iv.**



**H**uribus vir sanctissimus peregrinationis causa in Palæstinam profectus, a Jerosolymorum Antistite sacrorum custos designatur. Suscepto in Hispaniam itinere, Leonem primum, summum Ponti-

ficem veneratus, a Suevorum rege Gallæciæ imperante honorifice susceptus; postquam regiam puellam aliisque infirmos mirabiliter sanavit et templum Christo Salvatori dicavit, invitatus ad episcopatum Asturicensem promovetur. Ab Archidiacono sedem illam ambiente adulterii accusatus, in sacro linteo penitus illæso prunas ardentes ad altare portavit: eoque miraculo ac repentina morte calumniatoris aliam etiam inferentis injuriam, suam innocentiam comprobavit.

**R.** Inveni.

**Lectio v.**

**C**atholicæ veritatis ardore Hispanias Priscillianistarum erroribus infectas cepit lustrare, Episcopus serpentis monere contagii, et sedis apostolicæ implorare subsidium. Misso itaque ad Leonem Pontificem Diacono, commonitorii ad Episcopos seriem et errorum libellum adjunxit; a quo per gravissimam epistolam defensionis fidei laudem, et grassantis hæresis antidotum reportavit. Ejus auctoritate duo cogit curavit concilia, unum Toléti, alterum in Gallæcia, apud Ullenense municipium, in quibus per-

niciosissima hæresis condemnata est, errantesque Episcopi catholicæ fidei subscripserunt.

**R.** Posui adjutorium.

**Lectio vi.**

**C**ujus doctrinam magno Deo confirmavit miraculo; urbem quippe Palentinam his erroribus pertinaciter adhærentem, et sancti viri prædicationibus adversantem, ad labentis fluvii insperatam excursionem pene totam submersit; quo supplicio meliores cives effecti, Thuribii doctrinam susceperunt. Multos pro fide Christi labores passus, virtutibus et miraculis clarus, quievit in pace. Ejus corpus translatum est ad ecclesiam sancti Martini montis Liebanae a se constructam et pretiosis, quas Jerosolymis asportavit, reliquiis decoratam; ubi eum finitimi populi summa colunt veneratione.

**R.** Iste est.

**In iij. Nocturno, Homilia. Lectio sancti Evangelii. de Communi.**

**Vesp. a Capit. de seq.**

**EADEM DIE.**

**S. Engratiæ Virg. et socior. ejus Mart. Pro regno Aragoniæ et Cathalauniæ principatu. Duplex.**

**Omnia de Comm. plurim.**  
**Mart. tempore Paschali,**  
**præter sequentia.**

**Oratio.**

**R**espice, quæsumus  
Dómine, familiam  
tuam et præsta : ut beatæ  
Engratiæ sociorumque  
ejus intercessióne muníta,  
ab omni sit culpa defénsa.  
Per Dóminum.

**In j. Nocturno, Lectio-**  
**nes de Scriptura occur-**  
**rente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio ib.**



Hispania ferax olim  
regio fuit non  
modo earum re-  
rum, quas mirantur histó-  
rici, sed maxime insignium  
Christi Martyrum. Nulla  
tamen in Hispania hujus  
beatæ messis feracior civi-  
tas, quam Cæsaraugusta,  
quæ vere Martyrum geni-  
trix dici potest. Hæc præ-  
ter innumeros illos nomine  
honoribusque incognitos  
Martyres, quorum trium-  
phis gloriosa decoratur,  
præter Valerium et Brau-  
lium, Præsulum gloriam  
et exemplar, præter Vin-  
centium Diaconum plene  
Christi ministrum, Engrati-  
am, quæ olim Encratis  
dicta fuit, cum aliis decem  
et octo Martyribus Chri-  
sto edidit.

**R.** Lux perpétua.

**Lectio v.**

**Q**uorum nomina Pru-  
dentius, vir consula-  
ris, ejusdem civitatis non  
exigua gloriæ portio, re-  
censet. Ea sunt Optatus,  
Lupercus, Succensus, Mar-  
tialis, Urbanus, Julianus,  
Quintilianus, Publius, Fron-  
to, Felix, Cæcilianus, Evén-  
tius, Primitivus, Apodé-  
mius, et alii quatuor, quos  
vir ille non nominat : e  
quorum tamen numero  
satis constat esse Lupér-  
tium : reliqui suo Christo  
etiam nomine, nobis gló-  
ria tantum cogniti sunt.  
Qui copioso suorum cor-  
porum sanguine fuso Cæ-  
saraugustam consecra-  
runt. **R.** In servis suis.

**Lectio vj.**

**I**nter omnes tamen co-  
piosissime Engratia  
beatissima, quæ, ut idem  
Prudentius ait, morti suæ  
superstes fuit. Cum enim  
multa passa esset pro  
Christo supplicia, cum lá-  
tera ejus a sævo tortore  
lacerata, membra omnia  
discerpta, abscissa e pé-  
ctore papilla : cumque sic  
diu in tormentis detenta  
fuisset, et multæ illius  
adorandi corporis partes  
emortuæ, tandem jecoris  
sancti, quæ amoris divini  
sedes præcipua erat, parte  
a laniatore revulsa et  
emortua, adhuc Engratia

supervivébat. Tandem  
gloriosa migravit ad Dó-  
minum, quo jam socii  
præcesserant, circa an-  
num Dómini trecentési-  
mum sextum. **R.** Filiæ.

**In iij. Nocturno, Homi-**  
**lia. Iste locus. Extra tem-**  
**pore Paschale, Homilia.**  
Dóminus ac Redemptor.  
**de Communi.**

**Vesperæ a Capitulo de**  
**sequenti.**

**DIE XVII. APRILIS.**

**B. Mariæ Annæ**  
**a Jesu**

**Virg. Duplex.**

**Omnia de Communi Vir-**  
**ginum, præter sequentia.**

**Oratio.**

**D**omine virtutum, cle-  
mentissime Deus, qui  
beátam Mariam Annam  
Virginem tuam innumeris  
gratiæ tuæ munéribus cu-  
mulasti : ejus nobis præci-  
bus concède ; ut quam so-  
lémni veneratióne colí-  
mus, etiam actiõibus imi-  
témur. Per Dóminum.

**Commem. præced. et**  
**S. Aniceti Papæ Mart.**

**In j. Nocturno, Lectiones**  
**de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio ib.**



Antiphona Anna a Jesu,  
Matriti, Hispano-  
rum regum aula  
et eximio catholice reli-  
gionis cultu celeberrima

urbe, a piis honestisque  
parentibus in lucem est  
edita. A primis usque  
ætatis suæ annis satis  
certa futuræ sanctitatis  
dedit indicia. In ipsa enim  
pueritia divinis quibus  
abundabat charismatibus,  
coelo potius, quam mundo  
se natam ostendit : reje-  
ctisque non sine mirabili  
ánimi constantia nuptiis,  
atque acerbissima pugna  
hanc ipsam ob rem intus  
exteriusque commota, di-  
vinitus superata, uni cœ-  
lesti Sponso se totam lu-  
bens devovit : utque prom-  
issis stare facilius pos-  
set, mundi illécebris carnis-  
que oblectamentis omni-  
bus nuntium remittens,  
sacrum institutum moniá-  
lium discalceatarum beá-  
tæ Mariæ Virginis de  
Mercéde redemptionis ca-  
ptivorum, cujus propaga-  
tionem mirifice adjúvit  
consilii orationibusque  
suis, solémni ritu profes-  
sa, nihil omnium rerum  
omisit, quæ vel sui spí-  
ritus perfectiõni, vel alió-  
rum salutí inservirent. Ad  
quam rem ne sibi unquam  
vires deficerent, Deipar-  
am ipsam, cujus aspectu  
sæpenúmero recreabatur,  
peculiarem patrónam, suo-  
rumque operum ac consi-  
liorum omnium adjutricem  
adhíbuít. **R.** Propter.

**Lectio v.**

**V**oluntariam paupertatem ad extremum usque constantissime coluit: castitatis vero, atque innocentiae laudem tantam adeptam est, ut coelestem vitam in terris agere, ab omni corporis contagione sejuncta videretur. In loquendo adeo parca, ut nullum plane verbum, nisi consulto et meditato proferreret; et tale obedientiae studium continuo ostendit, ut praesidium non modo vocibus, sed ipsis nutibus obtemperaret. In his autem animi dotibus maceratione carnis, vigiliis, jejuniisque tamquam vallo muniendis, curam omnem adhibuit suam, ac inaudita eaque perenni non minus quam aspera tormentorum vi corpus in absolutam spiritus servitutem redegit. De se enim adeo humiliter demissaeque sentiebat, ut quo majori coelestium donorum copia perfunderetur, eo viliores sese ac omni poena contemptique dignissimam existimaret.

**R.** Dilexisti justitiam.

**Lectio vi.**

**C**redi vix potest, quam in Deum caritate Maria Anna flagraret, omniaque praeter illo maximo habens in spreto divi-

ni amoris voluptate adeo plurima afficiebatur, ut quantislibet pressa curis ac molestiis fatigata, in unius Dei amplexu, quem vivissimae fidei ope presentem sibi assidue intuebatur, per summam delectationem acquiesceret; nec aliud jucundius habuerit, quam assidue orationi majestatisque divinae contemplationi vacare: cujus coelesti dulcedine perfunderetur ita ut a corporeis abstracta sensibus, in frequentes ecstasies raperetur. Ex hoc autem tam incenso in Deum amore, egregia non solum illa oriebatur voluntas unumquemque conciliis, opere, monitisque juvandi ad bene pieque vivendum: sed firmissima etiam spes, summumque desiderium quo corporeis vinculis solvi, et esse cum Christo vehementer optabat. Optata autem diu felicissima tandem advenit dies: anno enim millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, aetatis suae quinquagesimo nono, extremi morbi doloribus patientissime toleratis, sacramentis omnibus summa cum pietate susceptis, grave suarum virtutum Matritensi populo universono desiderium relinquens,

meritorum plenissima migravit ad Sponsum. Quam Pius sextus Pontifex maximus, multis insignem miraculis, ac prophetiae dono illustrem, ritu solemnium beatarum Virginum numero ascripsit.

**R.** Afferentur.

**In iij. Nocturno, Homil.** Saepe vos, fratres, de Communi Virginum.

**Lectio ix. et Commem.** S. Aniceti in Laudibus.

DIE XVIII. APRILIS.

(Pro regno Valentino.)

**B. Andreæ Hibernon Confessoris.**

**Duplex.**

**Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter seq.**

**Oratio.**

**D**eus, qui beatum Andream Confessorem tuum admirabilis innocentiae et contemplationis munere decorasti: ejus nobis precibus concede; ut inter mundi illecebras et pericula tibi uni toto corde adherere valeamus. Per Dominum.

**Commem. praeced.**

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio iv.**

**A**ndreas Hibernonius ex antiquo et nobili Catholico-rum novae Carthaginis

genere ortus Vergiliae, quae nunc Murcia dicitur, natus est, et in cathedrali templo sacro baptismatis fonte regeneratus fuit. Pueritiam Alcantarillae, adolescentiam vero Valentiae apud avunculum mira innocentia traduxit: quam ad mortem usque nullo gravi flagitio coedasse perhibetur. Murciam Valentiam redux, cum in latrones incidisset, quieum pecunia omni spoliarent, hoc eventu rerum humanarum labilitatem agnoscens, annos natus viginti duos, ordini Minorum sancti Francisci nomen dare decrevit: certa spe confisus, coelestis in eo thesauros fore consecuturum. Voti compos factus, et inter laicos ascriptus, tanta alacritate novam a sancto Petro de Alcantara institutam reformationem aggressus est in coenobio illicitano, ut caritatis fervore, votorum implemento, constitutionum observantia, mortificationis studio religiosissimis fratribus ad virtutem pietatemque exemplo fuerit ac incitamento.

**R.** Honestum fecit.

**Lectio v.**

**Q**uanto vero in se ipsum asper et rigidus, tanto magis in alios

suavis et benignus, omnium præsto erat necessitatibus, quas prævenire satagebat. Ut sodalium onera levaret, impositis sibi munèribus diligentissime functus, illorum sibi officia deposcebat, eoque cupidius ac libentius, quo graviora illa erant atque viliora. Cœlesti eruditus scientia de catholice religionis mysteriis tam diserte loquebatur, ut vel ipsi sapientes in admirationem raperentur. Eximia præditus caritate, verbo et exemplo nedum perditos Christianos, sed et ipsos infideles Mauros, quorum plures in Hispania erant reliqui, Deo lucrifacere studebat. Purgantes animas effusis assidue precibus ac indulgentiis, quibus lucrandis totus incubuit aliisque modis juvare curabat. Horas subripiabat somno ut orationi vacaret: in qua tanta spiritus perfundebatur dulcedine, ut sæpissime in ecstasim raptus, diu permaneret immotus. Hoc illi contingebat præcipue, cum oraret vel ante imaginem immaculate Virginis, quam tenerrimo prosequeretur affectu, vel ante sanctissimam Eucharistiam, cuius cultum impense promovit, vel cum mente

recoleret acerbissimam Christi passionem, in cuius meditatione non absque suavi lacrymarum effluvio diutissime perseverabat.

**R.** Amavit eum.

**Lectio vij.**

**P**rophetiæ, et miraculorum dono auctus Andréas, futura præmonuit, sanitatem restituit, annonam multiplicavit: unde celebre nomen obtinuit. Sanctus Paschalis Baylon, venerabilis Joannes de Ribera Archiepiscopus Valentinus ejus virtutum clarissimi præcones fuere: ipse solus erat, qui humiliter de se demissèque sentiret. Ordinis præses, tanti viri sanctitate permoti, Múrciam, Valentiam, Gándiam eum miserunt, ut eas in urbes Minoritici instituti reformationem vel aggredere, vel jam inchoatam fovéret atque perficeret. Annum agens sexagesimum octavum pleuritide correptus, jamque dissolvi cupiens et esse cum Christo, ita in lectulo mortis jacebat, ut non amplius ipse, sed in eo Christus vivere videretur. Sacramentis refectus, qua prædixerat die decima octava Aprilis anni millésimi sexcentésimi secúndi placidissimo

fine quievit. Ejus mortis vulgato nuntio, talis populorum concursus ad eum videndum venerandumque factus fuit, ut cultu potius quam funere sacrum corpus elatum videretur. Novis autem accedentibus miraculis Pius sextus Pontifex maximus die vigésima secúnda Máii anni millésimi septingentésimi nonagésimi primi, Beatórum honores ei indúlsit.

**R.** Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vij. Cap. 12.**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventuræ Episcopi.

Comment. in cap. 12. Luc.

**U**sillus grex dicitur respectu multitudinis reproborum hominum: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Vel pusillus ratione modicitatis propriæ: Videte vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes. Vel pusillus ratione humilitatis voluntariæ:

Vos autem greges mei homines estis, et ego Dominus Deus vester. Est enim Deus humilium, et talibus promittit Deus regnum: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum. Ideo subdit: Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Placuit dare gratiam. Isaias: Ecce servus meus, suscipiam eum. Placuit dare sapientiam: Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Placuit dare gloriam æternam, sicut hic: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

**R.** Iste est.

**Lectio viij.**

**V**endite quæ possidetis et date eleemosynam. Sed quia durum est vendere, et dare absque recompensatione, ideo subdit: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: et quia ista retributio est opulentissima, quæ est in his sacculis, ideo subdit: Thesaurum non deficientem in cœlis. Et quod iste thesaurus sit indeficiens, ostendit: quia non potest amitti per fures, non potest corrumpi in se; ideoque addit: Quo fur non appropriat, neque ti-

nea corrumpit. Omnia bona mundi triplex interitus tollit : aut enim ex se ipsi veterascunt, aut dominorum luxu consumuntur, aut ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur. Et propterea in terris thesaurus indeficiens non potest haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, dispargat in terris, ut abundet in caelis.

**R.** Sint lumbi.

**Lectio ix.**

**N**ON jussit Dominus, ut thesaurum perderemus, sed locum ostendit, quo poneremus. Est autem magna vis facienda, quomodo locetur thesaurus, quia eodem locatur et animus; ideo subjungitur : Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Si in terra est, cor deorsum est : si in caelestibus, in Christo fixum est. Necesse est enim, ut, quo praecesserit dilectionis thesaurus, illuc et cogitationis sequatur affectus. Thesaurus iste visibilis et terrestris consistit in pecunia; sed thesaurus invisibilis consistit in sapientia : Veniunt mihi omnia bona pariter cum illa. Et nota, quod iste, qui consistit in sapientia, incipit a timore reverentiae. Divitiae salu-

tis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. Proficit autem in studio disciplinae : Omnis scriba doctus in regno caelorum. Conservatur in sanctitate conscientiae : Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Consummatur autem in sublimitate gloriae : Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo. Et de talibus loquitur hic. Unde pauperibus promittit viaticum refectiois, regnum excellentiae, et thesaurum abundantiae : quia pauperes consueverunt esse afflicti, et desperti, et egeni pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

Te Deum laudamus.

DIE XXIII. APRILIS.

S. Georgii

Martyris.

Duplex j. cl. cum Octava.  
Pro Princip. Cathalauniae.  
Omnia de Comm. unius  
Mart. temp. Pasch. praeter  
sequentia.

IN I. VESPERIS.

Aenae de Laud. Psalmi  
ex j. Vesp. de Communi  
Apostolorum.

**V.** Ora pro nobis beate Georgi, alleluia. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluia.

**Ad Magnif. Aenae.** Beatus Georgius de militia translatus in militiam, terreni tribunatus quo fungebatur officium christianae militiae professione mutavit, alleluia.

**Oratio.**

**D**Eus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas : concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

**Invitorium.** Gloriosus Christi athleta Georgius victor exultat in caelis, \* Venite adoremus Dominum, alleluia.

**Ps.** Venite.

In I. Nocturno.

**Aenae.** Lorica fidei praecinctus, in ipsam densi certaminis aciem fervidus se Christi bellator immergit, alleluia, alleluia.

**V.** Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia.  
**R.** Vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia.

**Lectiones.** Fratres, Debitores. de Comm. plurim.  
Mart. extra temp. Pasch.

**R.** j. Georgius pro Christo certavit usque ad mortem, tyranni minas non timens, veritatem dictis ac factis praedicavit. \* Nitebatur enim firma

petra Christo, alleluia. **V.** Propositam tormentorum multitudinem irridentis, pulcherrima monumenta reliquit. — Nitebatur.

**R.** ij. Animo fidenti ad pugnam egressus, non corporea aliqua, sed sancti Spiritus armatura se induit, \* Justitia scilicet et fide, alleluia. **V.** Quoniam non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates bellum susceperat. — Justitia.

**R.** iij. Beatus Martyr Georgius sancti Spiritus igne succensus, et vexillo crucis inexpugnabiliter praemunitus. \* Si cum iniquo rege congressus est, alleluia. **V.** Ut spumantia ex antiqui serpentis ore venena contemneret. — Sic. Gloria. Sic.

In II. Nocturno.

**Aenae.** Divitiarum pondus ante deposuit, atque ita postmodum ad certaminis campum imperterritus prosilivit, alleluia.

**V.** Lux perpetua lucet sanctis tuis Domine, alleluia. **R.** Et aeternitas temporum, alleluia.

**Lectio iv.**

**E**orgius, nobilibus parentibus in Capadocia natus, sancte ab illis et religiose

educatus est. Iis vita fun-  
ctis adhuc adolescens tri-  
bunus militum factus, et  
aliis insignitus honoribus,  
sub Diocletiano caesare  
militavit. Verum cum edi-  
ctis imperalibus persecu-  
tionem in Christianos cer-  
neret acris deservire, id  
indigne ferens, opportu-  
num quoque fore illud  
tempus existimans ad sa-  
lutem et ad martyrii glori-  
am, facultatibus suis in  
pauperes erogatis servis-  
que libertate donatis, zelo  
fidei ac religionis accen-  
sus imperatorem adit,  
Christumque verum Deum  
libere confessus, ipsum de-  
tam impia in Christianos  
crudelitate constanter ac-  
cusat.

**R.** Insignis Christi mi-  
les supra firmam petram  
fidei suae fundamenta  
constituens, praemii coele-  
stis intuitu diversa suppli-  
cium genera invicta pati-  
entiae maiestate calcavit.  
\* Et blandientium pro-  
missiones irrisit, alleluia.

**V.** Carnificum tormenta  
contempsit, et ad agen-  
dum fortiter Christi mili-  
tum animos incitavit. —  
Et blandientium.

**Lectio b.**

**A**dmiratus vehemen-  
ter imperator, quod  
Georgius praeter omnium  
opinionem Christianus

esset, primo blandis illum  
verbis ac magnis pollici-  
tationibus, deinde minis  
pœnarumque terroribus  
a fidei sententia conatur  
avertere. Sed cum nihil  
proficeret, nec ullo modo  
viri constantiam posset de-  
pio et sancto proposito di-  
movere, jubet ipsum primo  
in carcerem trudi, ibique  
diu affligi : tum verbéri-  
bus caesum, rota mucroni-  
bus praefixa ad ejus cor-  
pus admota laniari, deinde  
torreri sartagine varièque  
torqueri. Quam ille tor-  
mentorum vim, ubi alacri  
ac forti animo tulisset,  
indeque incolumis mira-  
biliter evasisset, plurimos  
suo exemplo ad fidei con-  
stantiam excitavit.

**R.** Non blandis illum  
verbis imperator, nec pol-  
licitationibus aut minis a  
sancto proposito avertere  
unquam potuit : \* Et  
ideo triumphat in caelis  
coronatus, alleluia, alle-  
luia. **V.** Omnia sua paupé-  
ribus tribuens, sarcinam  
terrénæ facultatis abjecit.  
— Et ideo.

**Lectio vj.**

**I**mpius autem perse-  
cutor cum eximiam  
hujusmodi Martyris forti-  
tudinem non divinæ vir-  
tuti, ut par erat, sed má-  
gicis artibus ascriberet,  
ipsum varie tortum, atque

in sententia nihilominus  
persistentem, securi per-  
cuti jubet. Georgius igitur  
fortiter data cervice  
martyrii corona dignatus  
est. Corporis ejus reli-  
quiae, diversae in regiones  
delatae, maximo ab incolis  
habentur honore. Caput  
Romae in diaconia sancti  
Georgii ad Velabrum ho-  
norifice asservatur, et  
ipsius Martyris nomen  
non solum in Oriente, ubi  
passus est, sed et in occi-  
dus oris ubique clarissi-  
mum est. Quam et implo-  
rantibus ejus auxilium  
propitius adesse consu-  
verit, reges praesertim et  
principes saepius in mili-  
tari conflictu experti sunt :  
frequentes etiam ejusdem  
Martyris memoriae ubique  
testantur.

**R.** Tamquam bonus agri-  
cola agrum suum spiri-  
tuális exercitii disciplinae  
excóluit, \* Et piæ corre-  
ptionis vomere terréna  
multorum corda proscidit,  
alleluia, alleluia. **V.** Vi-  
tiorum vepribus erutis,  
fecunda in eis virtutum  
arbusta plantavit. — Et  
pia. Glória Patri. Et pia.

In III. Nocturno.

**Añ.** Zelo religionis ac-  
census, Christum verum  
Deum esse palam confite-  
batur, et de impia in Chri-  
stianos crudelitate impe-

ratorem constanter accu-  
sabat, alleluia.

**V.** Laetitia sempiterna  
super capita eorum, alle-  
luia. **R.** Gaudium et ex-  
ultationem obtinebunt,  
alleluia.

**Homilia.** Iste locus. **de**  
**Communi temp. Pasch.**

**R. vij.** Dum invictus  
Christi Martyr saevissime  
crudeliterque torqueretur,  
canebat dicens : Quis me  
separabit a Christo? Et in  
plagis quae sibi ab hosti-  
bus infligebantur, fortiter  
perferendis, \* Corpore et  
spiritu se validum praebat,  
alleluia, alleluia. **V.** Illi enim corpus flagel-  
lis verberabant; hic vero  
patienter animo omnia su-  
perabat. — Corpore.

**R. viij.** In rota denique  
positum, circumligatum  
Martyris corpus dire mul-  
tipliciter perforatur,  
et carnificis inaudita fé-  
ritas, \* Nova et exquisita  
invenit poenarum suppli-  
cia, alleluia, alleluia. **V.** Ad  
accendendam magis ty-  
rannicae crudelitatis im-  
pietatem, et ad satiandam  
furoris sui rabiem. — No-  
va. Glória Patri. Nova.

AD LAUDES,

et per Horas, Añ.

**1.** Georgius \* nobilis gé-  
nere, sed fide et sanctita-  
te nobilior, Christi fidem